Pamph
L Gr
Pi
L.

Pindar

INDEX SCHOLARVM

QVAE

SVMMIS AVSPICIIS

REGIS AVGVSTISSIMI

G V I L E L M I

IMPERATORIS GERMANIAE

IN

VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

PER MENSES HIBERNOS ANNI CIↃIↃCCCLXXXIII—LXXXIV

A DIE XV MENSIS OCTOBRIS

PVBLICE PRIVATIMQVE HABEBVNTVR

INEST EDVARDI LVEBBERTI PROLVSIO
IN PINDARI LOCVM DE LVDIS PYTHIIS SICYONIIS.

BONNAE
TYPIS CAROLI GEORGI VNIV. TYPOGR.

RECTOR ET SENATVS

VNIVERSITATIS FRIDERICIAE GVILELMIAE RHENANAE

CIVIBVS

S.

1. Theologia Delphica in praeceptis de moribus sibi constans et una, in placitis de rebus divinis varia et inconstans.

Duae sunt, quibus theologia Delphica nititur, quasi radices: altera praecepta illa complectitur, quibus vita humana emendatur, ad altiora proposita erigitur, caelesti quadam harmonia perfunditur. Altera res divinas spectat; in ea mythi et fabulae sacrae (ἱεροὶ λόγοι), venerandae vetustatis, enarrantur, quibus Apollinis ad humanum genus adventus et oraculi Delphici institutio illustratur. Prior illa divinarum institutionum pars per complura saecula constanti quodam cursu exculta est, secum ipsa concors, eodem semper spiritu nutrita, praestantissimae sapientiae, qua res divinae cum humanis conectuntur, imago. Haec praecepta vere aurea omnis humanitatis semina continebant, haec illud effecerunt, ut Graeci reliquis antiquis populis facem praeferrent. Inde fluxit pulcherrima illa doctrina: ab uno Deucalione omnium Graeciae populorum heroes patrios descendere, unam esse populorum Graeciae familiam. Non absque Delphici oraculi impulsu hoc stemma, quod Hesiodus tradit, ortum est, quo Hellen, Deucalionis filius, filios, diversarum Graeciae stirpium patres, genuisse dicitur ap. Tzetz. in Lycophr. 284 Ἕλληνος δ' ἐγένοντο θεμιστοπόλοι βασιλῆες || Δῶρός τε Ξοῦθός τε καὶ Αἰόλος ἱππιοχάρμης. || Αἰολίδαι δ' ἐγένοντο θεμιστοπόλοι βασιλῆες || Κρηθεὺς ἠδ' Ἀθάμας καὶ Σίσυφος αἰολομήτης || Σαλμωνεύς τ' ἄδικος καὶ ὑπέρθυμος Περιήρης. conf. M. Duncker, Gesch. d. Alterth. III², 548. Ex eo sacrario coloniarum innumerabilium condendarum impulsus prodiere; illinc summum illud praeceptum natum, quo nihil praestantius ab antiquitate prognatum est: eiusdem perfectissimae harmoniae imaginem, quam in caelo et universo mundo Iuppiter stabilivisset et constituisset, in rebus quoque humanis ubique resplendere et relucere oportere. Eorum praeceptorum per totam Pindari poesin radios sparsos invenias. Fuit enim haec peculiaris Pindari virtus, ut Delphicae se sapientiae interpretem et praeconem praeberet.

Cum igitur in toto hoc genere certus quidam consensus regnet et praecepta illa tanquam nummi in eadem officina cusi similem inter se faciem ostendant, contrarium plane in altero theologumenon Delphicorum genere accidit, quod sacrarum narrationum thesaurum continet. In eo progrediente temporis cursu discrepantiarum et discordiarum paullatim semina orta sunt. Nec mirum; nam ita fieri solet: in rebus ad vitam et mores spectantibus hominum animi facile concinunt; cum numinis divini infinitam vim et copiam stilo rudi et titubanti adumbrare et certis narrandi formulis includere mortales conantur, alii aliud censent et populorum saeculorumque summa discrepantia est.

2. Antiquissimorum dogmatum species atrox et horrida. Apollo ad scelus expiandum apud inferos.

De his igitur dogmatum in religione Delphica mutationibus paullo nunc curiosius quaerendum. Res proximis abhinc annis a duobus viris optime meritis in examen vocata est, a Tychone Mommsen, Delphica p. 148 n. 2 et p. 293 med., et a Theodoro Schreiber, Apollon Pythoktonos, Lips. 1879, p. 100; sed licet egregiam illi operam navarint, theologumena illa tanquam Proteum imitantia tam subtiles et multiplices mutationes subierunt, ut pro absoluta haec quaestio haberi nondum possit. Primum, ne turba obruamur, notandum, omnium dogmatum Apollineorum, quae paullatim in sat magnam molem creverunt, fundamentum et radicem esse narrationem illam de caede draconis, quae tribus quasi actibus hisce decurrit: caedes draconis, oraculum ab Apolline institutum, postremo Apollinis propter caedis piaculum fuga, lustratio, reditus. In hac postrema parte, in sceleris ab Apolline admissi expiatione, saeculis subsequentibus magnus dubitationum et offensionum fons fuit. Iam hymni Homerici in Apollinem Pythium poeta, cum priores duas partes luculenter illustrarit, de tertia silet. Tamen in hac narratione manifestus est rigidae cuiusdam et venerandae antiquitatis color. Quid fabula significet, egregio acumine divinavit O. Mueller, Dor. I^2, 323 et Proleg. p. 305. Apollo cum draconem, quem Tellus, numen vetustissumum et maxume venerandum, custodem in ea regione collocaverat, occidit, vetustiorem illum numinum coetum graviter afflixit eorumque iram excitavit. Atqui haec ira placanda erat. Quare cum volgo ita tradatur, Apollinem apud Admetum per integrum annum magnum servitutem serviisse, quae fabula postea poetarum inventis ad venustatem et delectationem deflexa est, secundum vetustissimum narrationis sensum ea res longe quid horridius et severius significabat: Apollini, deo lucidissimo et splendidissimo, ad culpam istam luendam per ennaeteridem in Orci [Ἀδμήτου] tenebras descendendum ibique commorandum fuisse; inde eum sceleris expiatione peracta, placatis numinibus inferis, vere purgatum et omni labe liberatum ad lucem rursum rediisse.

3. Asperitas antiqua ne posterioribus quidem saeculis prorsus ignorata.

Apollinem apud Admetum serviisse, ut a draconis caede lustraretur, vetusta est apud theologos Delphos fama. Schol. Eur. Alc. 1. Ἀναξανδρίδης δὲ ὁ Δελφός φησι, θητεῦσαι αὐτὸν διότι τὸν ἐν Πυθοῖ δράκοντα ἀνεῖλεν. Poeta ignotus apud Plut. Amator. 17, 18 Ἀδμήτῳ παραθητεῦσαι μέγαν εἰς ἐνιαυτόν. Clarius de prisco sensu, quo illa apud Admetum servitute descensus in Orcum significabatur, loquitur theologus quidam apud Plutarchum in praestantissimo libello de def. orac. 21 med. τῷ δ' ἀποκτείναντι μήτ' ἐννέα ἐτῶν, μήτ' εἰς τὰ Τέμπη γενέσθαι τὴν φυγὴν, ἀλλ' ἐκπεσόντα ἐλθεῖν εἰς ἕτερον κόσμον. ὕστερον δ' ἐκεῖθεν . . . ἁγνὸν γενόμενον καὶ Φοῖβον ἀληθῶς κατελθόντα τὸ χρηστήριον παραλαβεῖν. Pindarus quoque etsi rem atrocem verecundia quadam impeditus non apertis verbis exprimit, tamen eiusmodi quid in vetustissimis fabulis traditum fuisse, sincera pietate significat in Paeane, quem amicis Delphicis scripserat, Schol. Aesch. Eum. 2 Πίνδαρός φησι πρὸς βίαν κρατῆσαι Πυθοῦς τὸν Ἀπόλλωνα· διὸ καὶ ταρταρῶσαι αὐτὸν ἐζήτει ἡ Γῆ. conf. Boeckh, Fragm. Pind. p. 568. O. Muelleri interpretatio audacior fortasse videri possit. Atqui hanc ipsam antiquissimam fabulae de Apollinis servitio significationem fuisse O. Muellero adsensus est vir in his studiis maxume versatus et antiquitatum rerum divinarum apud Delphos peritissimus, Ludovicus Weniger, die religiöse Seite der Pythien p. 31.

4. Antiqui dogmatis austeritas emollita. Septentrionalium Graeciae stirpium ingenium fabulae inculcatur.

Sed haec saeculorum vetustissimorum fuit natura ingenita. Progrediente tempore, quom hominum animi magis emollirentur et mansuefierent, pro fabula illa atroci blandior et mitior substituta est; profecta videtur haec mutatio ab stirpibus Graeciae septentrionalis, quae in rebus Delphicis paullatim principatum quendam obtinuere; eis auctoribus pro illa ad inferos descensione inventa est fuga Apollinis ad venerandum illud sacrarium Pythium Thessalicum, quod fuit in Tempe convalli. Ab hoc tempore caedes draconis et dei fuga sollemni cuidam spectaculo, quod nono quoque anno Delphis peragebatur, argumentum praebuit, quibus sollemnibus Septerio nomen erat. Puer nobilis Delphicus, qui patrimus matrimusque (ἀμφιθαλής) esset, dracone confosso, Thessaliam versus fugam capiebat; idem ad Tempe cum aliis caerimoniis lustralibus, tum lauro potissumum conspersus et detersus purgabatur, purgatus denique cum sollemni comitatu, sacra illa via incedens, quae a Pythio Delphos ferebat, domum revertebatur. Nomen prioris partis sacrorum, quae Delphis ipsis peragebatur, Septerii, Plutarchus servavit Quaest. Gr. 12 τὸ μὲν οὖν σεπτήριον ἔοικε μίμημα τῆς πρὸς τὸν Πύθωνα τοῦ θεοῦ μάχης εἶναι καὶ τῆς μετὰ τὴν μάχην ἐπὶ Τέμπη φυγῆς καὶ ἐκδιώξεως. conf. Plut. de def. orac. 15. Partem, quae ad

Tempe peragebatur, venustissime describit Aelianus Var. hist. 3, 1, qui laurum ut efficacissimum in lustratione adiumentum praedicat: στεφανωσάμενον οὖν ἐκ ταύτης τῆς δάφνης τῆς Τεμπικῆς καὶ λαβόντα κλάδον ἐς τὴν δεξιὰν χεῖρα . . . ἐλθεῖν ἐς Δελφοὺς καὶ παραλαβεῖν τὸ μαντεῖον.

5. Pro dogmate horrido et magnifico substituitur placitum tenue et pusilli angustique pectoris modulo conveniens.

Sed hoc quoque dogma paullatim theologis nonnullis despicatui esse coepit; exorti sunt, qui antiquitus tradita ut austera aversarentur et sui animi aliquanto angustioris modulo metirentur, qui miraculosa et grandia perhorrescentes eorum loco talia, quae sanae scilicet et sobriae rationis clara luce illuminarentur, substituta vellent; eis ridiculum et puerile, neque ullo modo concoquendum hoc videbatur: Apollinem propter beluae immanis caedem poenas luisse, tanquam eo necato piaculum admisisset, ac non summo potius beneficio universam vicinitatem sibi devinxisset. Talium hominum prae ieiunitate et sobrietate insanientium ratiocinationem apud Plutarchum invenias, de def. orac. 15 παγγέλοιον γάρ ἐστιν, ὦ ἑταῖρε, τὸν Ἀπόλλωνα κτείναντα θηρίον φεύγειν ἐπὶ πέρατα τῆς Ἑλλάδος ἁγνισμοῦ δεόμενον. Ab his igitur theologis, superciliosis veteris rusticitatis censoribus, haec urbanior scilicet huius fabulae forma excogitata est: non beluam Delphos infestasse, sed fuisse tyrannum quendam crudelem, iuris contemptorem, totius vicinitatis odium et terrorem, cui Pythoni nomen, cognomen vero Draconi, ab hominibus propter immanitatem inditum, fuerit. Eum igitur Apollinem rogatu incolarum regionis ad Parnassum occidisse. Vetustissimus huius narrationis testis est Ephorus apud Strabonem IX, 422 extr. τοὺς δὲ Παρνασσίους συμμίξαντας αὐτῷ καὶ ἄλλον (praeter Tityum) μηνῦσαι χαλεπὸν ἄνδρα Πύθωνα τοὔνομα, ἐπίκλησιν δὲ Δράκοντα. In Septerii quoque dramate sacro non in draconis antrum, sed in regias aedes Apollo impetu facto penetrabat, Plut. de def. orac. 15. ἥ τε γὰρ ἱσταμένη καλιὰς ἐνταῦθα περὶ τὴν ἅλω δι' ἐννέα ἐτῶν οὐ φωλεώδης τοῦ δράκοντος χειά, ἀλλὰ μίμημα τυραννικῆς ἢ βασιλικῆς ἐστιν οἰκήσεως. Atque hanc quidem vetusti dogmatis corruptionem insulsi illi theologi oraculo etiam Phemonoae sacerdotis et vatis confirmare ausi sunt, quae de Apolline aliquando in has regiones adventuro hunc in modum cecinerit Paus. 10, 6, 7: ἀγχοῦ δὴ βαρὺν ἰὸν ἐπ' ἀνέρι Φοῖβος ἐφήσει || σίντῃ Παρνησσοῖο· φόνου δέ ἑ Κρήσιοι ἄνδρες || χεῖρας ἁγιστεύουσι· τὸ δὲ κλέος οὔ ποτ' ὀλεῖται. Non iniuria Strabo hanc veterum dogmatum mutandorum licentiam indignabundus castigat Str. IX, 423 init. τί ἐχρῆν . . . καλεῖν τὸν . . . μυθευόμενον δράκοντα ἄνθρωπον; πλὴν εἰ συγχεῖν ἐβούλετο (sc. ὁ Ἔφορος) τόν τε τῆς ἱστορίας καὶ τὸν τοῦ μύθου τύπον.

6. Antiquae fidei theologos apud Delphos nunquam defuisse, sed iuxta novicios decretis suis audientiam fecisse.

Quam vere Strabo iudicarit, inde optime intellegitur, quod postquam principale dogma depravatum est, simul alterum, quod illius est supplementum et quasi umbra, de fuga Apollinis, infringi statim coeptum est. Nam certamen cum dracone quamdiu imagine generosissima duorum divinorum ordinum, naturalium et Olympiorum deorum, contentionem et caelestium victoriam significabat, tamdiu Apollinis fuga et exilium hanc vim habuit, ut debita reverentia etiam victis numinibus ultro tribueretur, ne eorum ira clandestina novom Jovis imperium subverteretur. Cum vero mutato dogmate pro draconis caede merum homicidium substitutum esset, fabula de Apollinis exilio et lustratione hanc significationem induit: Apollinem ipsum quoque aliquando tali lustratione eguisse, qualem postea hominibus caede pollutis e suis côpiis praebiturus esset. Hanc eius fabulae significationem non negaverim pulchritudine aliqua praeditam esse, tamen cum antiqua illa comparata languet et claudicat. Videmus igitur, quae theologiae Delphicae fata fuerint: theologorum placitis vetustarum fabularum sensus immutatus paullatim est; quamquam haudquaqam probabile est, omnium, qui eadem aetate his quaestionibus operam navarent, virorum eandem semper super his rebus sententiam fuisse; immo alii aliter censebant, atque maxume verisimile vel certum potius est, vestutam quoque interpretationem haud minus strenuos, quam recentem, defensores habuisse, quod luculenter apparet ex Plutarchi loco, hos priscae asperitatis amicos vituperantis, de def. orac. 15 init. πλεῖστον δὲ τῆς ἀληθείας διαμαρτάνουσιν οἱ Δελφῶν θεολόγοι, νομίζοντες ἐνταῦθά ποτε πρὸς ὄφιν τῷ θεῷ περὶ τοῦ χρηστηρίου μάχην γενέσθαι.

7. Controversiae de dogmate contagio suo narrationis ipsius ossa et medullam corripiunt.

His sententiarum repugnantiis effectum est, ut paullatim non tantum de dogmatum interpretatione, sed de praecipuis quibusdam ipsius narrationis sacrae particulis dubitationes orirentur. Documento sit, ut in hoc uno nunc exemplo nos contineamus, quaestio de de anni tempore, quo caedes draconis facta sit, quae res magni momenti est ad fabulam recte explicandam. De hac re diversae plane narrationes sensim circumferri coeptae sunt; nam sunt testimonia et documenta, quae manifesto evincunt, verno tempore rem gestam esse: sunt rursus, quae non minus clare in auctumni initium nos relegent. Operae pretium est, haec paullulum persequi. Ac vere quidem Apollinem draconem occidisse his maxume argumentis colligitur. Primum nulla dubitatio est, quin ipsum oraculum vere condiderit Apollo; nam vetustissimis temporibus uno solo per integrum annum mense Bysio oracula edebantur. Bysius respondet Atheniensium Anthesterioni; conf. egregie de universa hac re disputantem Mommsenium, Delph. p. 287. Quod vero dies Bysii septimus ad oracula

danda electus est, hanc causam habet, quod is dies Apollinis natalis credebatur. Plutarchus quoque hunc in modum ratiocinatus est loco quodam, qui de universa hac quaestione bonae frugis plenissumus est, Plut. Quaest. Gr. 9 ἐν τῷ μηνὶ γὰρ τούτῳ τὸ χρηστήριον ἐγένετο καὶ ἑβδόμην νομίζουσι τοῦ θεοῦ γενέθλιον, καὶ πολύφθοον ὀνομάζουσιν, οὐ διὰ τὸ πέττεσθαι φθόις, ἀλλὰ πολυπευθῆ καὶ πολμάντευτον οὖσαν. Ὀψὲ γὰρ ἀνείθησαν αἱ κατὰ μῆνα μαντεῖαι..., πρότερον δὲ ἅπαξ ἐθεμίστευσεν ἡ Πυθία τοῦ ἐνιαυτοῦ κατὰ ταύτην τὴν ἡμέραν, ὡς Καλλισθένης καὶ Ἀναξανδρίδης. Itaque Bysio mense oraculum institutum his quoque viris eruditis videbatur; at institui non poterat nisi dracone occiso, qui ea loca custodiebat.

8. De anni tempore, quo caedes facta sit, dubitatur. Narrationum prosapia, quae verno tempori caedem adiudicat.

Deinde vero certa quaedam est narrationis de caede draconis forma ab luculentis testibus satis constanter tradita: Apollinem etiamtunc puerulum, pauculos dies natum, — atque est cui de quarto die constet —, monstrum immane sagittis suis transfodisse. Haec narrationis forma Deli sollemnis est et volgata, sed Delphis quoque haud minus probabatur. E testimoniis nunc potissuma quaedam delibemus. Venuste Euripides Apollinis in bracchio matris se iactantis infantiam describit Iph. Taur. 1249 ἔτι μιν ἔτι βρέφος, ἔτι φίλας || ἐπὶ ματέρος ἀγκάλαισι θρώσκων || ἔκανες, ὦ Φοῖβε, μαντείων δ᾽ἐπέβας ζαθέων. Apollon. Rhod. 2,705. ὑπὸ δειράδι Παρνησσοῖο || Δελφύνην τόξοισι πελώριον ἐξενάριξεν || κοῦρος ἐὼν ἔτι γυμνός, ἔτι πλοκάμοισι γεγηθώς. Ex bono fonte hausit Hyginus, quae scripsit Fab. 140. *Post diem quartum quam nati essent* (Apollo et Diana), *Apollo matris poenas executus est, nam Parnassum venit et Pythonem sagittis interfecit.* Inprimis vero Pindarus eiusdem narrationis patronus est, cuius ut accurate nunc sententiam perspiciamus eximio O. Muelleri acumine effectum est, qui fragmentum e Paeane, quo Pindarus Apollinis primum ad Delphos adventum descripserat, sagacissima emendatione restituit. Itaque nunc data opera in Pindari illud praestantissimum fragmentum inquirendum est, cum propter rem ipsam, quam tractamus, tum propter carminis eius argumentum et consilium, quod nondum ab omnibus criticis, ne a summo quidem viro, Theodoro Bergkio, μακαρίτῃ, ita perspectum est, quemadmodum post O. Muelleri inventum oportebat. De Paeane civibus Delphis composito testis est Schol. Pind. Nem. VII, 94, p. 480 extr. τὸν Πίνδαρον, ὅτι γράφων Δελφοῖς τὸν Παιᾶνα ἔφη. De carminis reliquiis et argumento optime exposuit Boeckhius, Pind. fragm. p. 568, qui illud quoque fragmentum, quo Tellus Apollinem in Tartarum conicere voluisse dicitur, Sch. Aesch. Eum 2. ταρταρῶσαι αὐτὸν ἐζήτει ἡ Γῆ, laudabili consilio huic carmini tribuit. Noverat ille Pindarum suum, itaque *huc* inquit p. 751 *referre non dubito.* Praeterea vero unum est fragmentum, quo locum et regionem poeta indicaverat, unde profectus Apollo Delphos petiisset; eius fragmenti verba volgo hunc in modum scribebantur: Schol. Aesch. Eum. 11 ἐς τήνδε γαῖαν] χαριζόμενος Ἀθηναίοις καταχθῆναί φησιν ἐκεῖσε Ἀπόλλωνα κἀκεῖθεν τὴν περιπομπὴν αὐτῷ εἶναι. ὁ δὲ Πίνδαρος ἐκ Τανάγρας τῆς Βοιωτίας.

9. Apud Pindarum in Paeane clarissimo Apollo Tegyrae nascitur, deinde pauculos dies natus serpentem occidit.

Iam O. Muellerus Orchom.[2] p. 161 n. 3 et Dor. 1[2], 235 et 312 not. praeclare vidit pro ἐκ Τανάγρας scribendum esse ἐκ Τεγύρας. Muellero adsensus est Theodorus Schreiber, Apollo Pythokt. p. 43. Bergkium, quod mireris, in Lyr. Graec. fragm. I[4], 469 nimia quaedam cautio, quominus eam lectionem reciperet et verba in Paeanum fragmenta ex incertis transferret, prohibuit. Ac Tanagrae quidem nil admodum de Apollinis cultu, quod quidem memoriae dignum sit, traditum est. Contra Tegyra in vetustissimis fabulis hac gloria plane circumfusa est, hac fama tota quanta resonat: Apollinem ibi et Dianam geminos, posteaquam diu Latona per omnes terras vagata sit, a divina matre in lucem editos esse. Tegyrae plurima erant cum Latonae aerumnarum, tum Apollinis natalium monumenta. Primum iam haud longe ab Tegyra Ptoon mons est, in quo Latona, cum gravida ante partum instantem paullulum quiesceret, apro repente exorto exterrita est, unde nomen quoque Πτῷον illi saltui inditum. Plut. Pelop. 16 τὸ Πτῷον ἐγγὺς, ὅθεν αὐτὴν ἀναπτοηθῆναι προφανέντος ἐξαίφνης κάπρου λέγουσι. conf. Fraenkelium, Archaeol. Zeitung vol. 40 p. 387. Deinde locorum quoque monumenta monstrabantur, in quibus partus ille omni mundo laetissimus factus esset; atque, mirum dictu, nomina eorum locorum ex insulae Deli monumentis desumpta erant, ut quin fabula Deliaca de Apollinis natalibus mature cum Tegyraea coaluerit et conglutinata sit, dubitari non possit. Erant ibi duo fontes gelidissimi limpidissimique, quibus nomina duarum arborum, phoenicis et oleae, indita erant, Deli notissimarum; in eorum fontium medio Latona peperisse dicebatur, Plut. Pelop. 16. δύο ῥήγνυνται πηγαὶ γλυκύτητι καὶ πλήθει καὶ ψυχρότητι θαυμαστοῦ νάματος, ὧν τὸ μὲν Φοίνικα, τὸ δὲ Ἐλαίαν ἄχρι νῦν ὀνομάζομεν, οὐ φυτῶν μεταξὺ δυεῖν, ἀλλὰ ῥείθρων τῆς θεοῦ λοχευθείσης. conf. Plut. de def. orac. 5. Nec desunt de Tegyrae gloria alii testes; Stephanus Byz. s. v. Τεγύρα Semum Delium profert, qui dixerit τὴν Ἀπόλλωνος γένεσιν οἱ μὲν ἐν Λυκίᾳ, οἱ δ' ἐν Δήλῳ, οἱ δ' ἐν Ζωστῆρι τῆς Ἀττικῆς, οἱ δὲ ἐν Τεγύρᾳ τῆς Βοιωτίας φασίν. Omnino florentissima erat apud Graecos Apollinis Tegyraei fama. In urbe Tegyra templum erat et cum eo coniunctum oraculum, quod etiamtunc bellorum Persicorum temporibus magna auctoriatate fuit. Eo tempore Echecrates quidam sacerdotio fungebatur. Haud multo deinde post deficere coepit; Plut. Pel. 16 νεώς ἐστιν Ἀπόλλωνος Τεγυραίου καὶ μαντεῖον ἐκλελειμμένον οὐ πολὺν χρόνον, ἀλλ' ἄχρι τῶν Μηδικῶν ἤκμαζε τὴν προφητείαν Ἐχεκράτους ἔχοντος.

10. Tegyraeis Apollinem apud se natum affirmantibus Delphici sacerdotes patrocinantur cum leni quadam Deliorum repulsa.

Una vero res ad hanc nostram quaestionem maximi momenti est. Theologi Delphici licet Apollinem ut maxume proprium sibi vindicarent, tamen hoc nunquam urbi suae

eiusque finibus adrogaverunt, ut Apollinem apud se genitum affirmarent. Immo in hac re Tegyraeis ita patrocinati sunt, ut quasi foedere icto consensu et auctoritate sua interposita sollemniter hoc firmarent, Tegyram Apollinis incunabula fuisse. Adversabantur in hac re Deliis, qui eundem honorem suae insulae adiudicabant; atque fors ita quondam tulit, ut theologi Delphi sua dogmata in hac re meliore fundamento niti, validis argumentis probare possent. Testimonium huius rei cognitu dignissimum extat apud rerum Delphicarum strenuissumum praeconem, Plutarchum, qui de def. orac. 5 haec narrat. Delii, belli Peloponnesiaci tempore ex insula sua expulsi, deum Delphicum legatione missa adorti sunt sciscitantes qua ratione in patriam restitui possent. Vaticinata est Pythia: voti eos compotes fore ubi loca in quibus Apollo natus esset, invenissent ibique sacra fecissent. Plut l. s. χρησμὸν... κομισθῆναι προστάττοντα τὸν τόπον ἀνευρεῖν, ἐν ᾧ γέγονεν ὁ Ἀπόλλων, καὶ θυσίας τινὰς ἐκεῖ τελέσαι. Tum legati mirari et ambigui haerere, cum persuasum semper habuissent, haud alibi quam apud se Apollinem natum esse. Quo animadverso Pythia denuo respondit: ab cornice eos hoc clarius comperturos: ὅτι κορώνη φράσει τὸ χωρίον αὐτοῖς. Nec irritus fuit eventus. Legati relictis Delphis Chaeroneae ad hospitam quandam, antea sibi ignotam, deverterunt, quam, ut fit, e reliquis peregrinantibus nonnulli in discessu valere iubentes nomine, quod ei erat, Cornicem salutabant. Plut l. s. τῶν ... ξένων, ὡς ἀπῄεσαν, ἀσπαζομένων καὶ προσαγορευόντων τὴν ἄνθρωπον, ὅπερ ὠνομάζετο, Κορώνην. Quo nomine statim perculsi legati Cornicem nulla mora interposita de Apollinis loco natali percunctati sunt. Mulier, ut hospita facunda, statim de Tegyra eos edocuit. Nec iam fata retardari potuere: cum legati Tegyrae sacra mandata peregissent talis mox rerum conversio consecuta est, ut brevi post Deliis reditus in patriam eveniret, Plut l. s. θύσαντας ἐν ταῖς Τεγύραις τυχεῖν καθόδου μετ ὀλίγον χρόνον. Eandem historiam et mutuum illud foedus, quod theologis Delphis cum sacerdotibus Tegyraeis intercedebat, respicit Callisthenes apud Steph. Byz. s. v. Τεγύρα ... Καλλισθένης ἐν τρίτῳ τῶν Ἑλληνικῶν εἶναι μαντεῖά φησι τὸ μὲν Ἰσμήνιον ἐν Θήβαις... τὸ δὲ κυριώτερον ἐν Δελφοῖς, ὃ καὶ μάλιστά φασι μεμαρτυρηκέναι τὴν ἐν Τεγύρᾳ [τοῦ θεοῦ γένεσιν supplet Mueller in Script. rer. Alex. M. fragm. sub Callisthene post editionem Arriani, Paris. 1877 p. 11.] Haec omnia si reputemus, dubium esse non poterit, quin recte O. Muellerus in Pindari illo apud Sch. Aesch. Eum. 11 fragmento ἐκ Τεγύρας pro ἐκ Τανάγρας scripserit. Narraverat enim Pindarus, quaemadmodum Apollo Teygra natus brevi post partum spatio una cum matre et sorore Delphos migravisset et draconem sagittis confodisset; atque vetere fortasse auctoritate dictum est, quod legimus apud Libanium in Westermanni Mythographis p. 376 no. 45 τεχθεὶς δὲ ὁ Ἀπόλλων εὐθὺς ἦν τοξότης καὶ ἔργον αὐτῷ πρῶτον ὁ δράκων. Iam igitur in illa dogmatum diversorum controversia quam stationem Pindarus obtinuerit, clare videmus; is caedem draconis mense Bysio factam haud cunctanter professus erat.

11. Multa sunt cum in narrationibus sacris tum in cultu et ritibus indicia, quae auctumno caedem factam evincunt.

Sed, qua de re supra iam dictum est, praeter hanc narrationis formam, qua caedes draconis verno tempori adiudicatur, alia quaedam narrandi ratio antiquissimo iam, ut videtur, tempore propagata est, cum illa priore adversa quasi fronte pugnans: caedem illam sub auctumni initium factam esse, mense Apellaeo, qui Hecatombaeoni Atheniensium respondet, cf. Momms., Delph. p. 119. Rem satis clare eloquitur Sch. Pind. Pyth. Hypoth. p. 298 med. μετέστη δὲ (ὁ ἀγὼν) εἰς πενταετηρίδα διὰ τὸ τὰς Παρνασίδας νύμφας Ἀπόλλωνι κτείναντι τὸ θηρίον τὰς ἐν ταῖς χερσὶν ὀπώρας προσενεγκεῖν δῶρα. Secundum hanc narrationis formam inter caedem draconis et inter ludos Pythios Delphicos, qui in eius certaminis memoriam instituti sunt, exiguum tantum unius fere mensis intervallum intercedit. Etenim ludorum Pythiorum initium septimus est Bucatii mensis dies, qui fere Metagitnion est Atheniensium. Sch. Pind. Pyth. Hypoth. p. 297 med. ἀποκτείνας τὸν ὄφιν τὸν Πυθῶνα ἀγωνίζεται τὸν Πυθικὸν ἀγῶνα κατὰ ἑβδόμην ἡμέραν. Hoc loco septimum, quem dicit, diem non Bysii esse, quemadmodum O. Muellerus Dor. 1^2, 332 n. 2 opinabatur, sed Bucatii recte L. Weniger, Collegium der Thyiaden (Eisenach 1876) p. 17 et Mommsen, Delphica p. 176, 163 statuerunt.

12. Septerion, quod certamen cum Dracone dramatis instar imitatur, ineunte auctumno celebrare moris fuisse.

Potissimum vero, unde draconis caedem secundum dogmata quaedam in auctumnum relatam esse, constat, documentum est Septerii institutum sollemne, de quo optime a Plutarcho edocemur, Quaest. Gr. 12 et de def. orac. 15. In Septerio caedes draconis, ut supra dictum est, sacro quodam dramate spectatorum oculis proponebatur. Atqui Septerii tempus anni ex Plutarcho satis accurate definiri potest. Plutarchi colloquium, cui titulus est περὶ τῶν ἐκλελοιπότων χρηστηρίων, habitum fingitur c. 2 ὀλίγον πρὸ Πυθίων τῶν ἐπὶ Καλλιστράτου. Hoc temporis spatium, quod ὀλίγον vocatur, dierum circiter viginti fuerit. Iam vero paucissimis ante colloquium habitum diebus Septerii sollemnitas illo anno celebrata erat; hoc quoque clare ibi indicatur, ubi unus ex interlocutoribus de Septerio haec loquens introducitur, Plut. l. s. 15: τούτοις . . . τοῖς περὶ τὸ χρηστήριον (sc. ἱεροῖς), οἷς ἄρτι τοὺς ἔξω Πυλῶν πάντας Ἕλληνας ἡ πόλις κατοργιάζουσα μέχρι Τεμπῶν ἐλήλακεν. Hinc necessario, opinor, efficitur, Septerion uno mense ante Pythia celebrare moris fuisse. Congruit cum hac computatione, quod uno mense opus erat, ut Apollo, vel puer Apollinis personam sustinens, fugam versus Tempe capesseret et inde cum nova lauro rediret. Prorsus igitur assentimur egregiae Wenigeri, Thyiaden p. 17 argumentationi, qui eorum

sacrorum tempora optime definiit. Offendit in ea re vir praestantissimus Mommsen, Delph. p. 211 n. 2, quod ὀλίγον πρὸ Πυθίων non possit integrum fere mensem significare. Sed Plutarcho illo quidem loco, si quid video, non in animo erat, tempus ad amussim definire.

13. Dogmata sacrorum Pythiorum principalia multo integriora et incorruptiora in Pythiis Sicyoniis, quam in Delphicis servata sunt.

Itaque si summa nunc eorum, quae disputavimus, colligenda sit, videmus Delphis temporum cursu paullatim magnam dogmatum perturbationem ortam esse. Erant theologi antiquae fidei, qui prisca dogmata de serpente monstro, de Apollinis ad Orcum descensu firmiter tenerent; exorti deinde sunt, qui, cum omnia in rebus etiam divinis magis ad rationis usum et caussas naturales revocarent, pro monstro occiso hominem, pro descensione ad inferos iter in Thessaliam, denique pro pace inter duos deorum ordines et coetus composita caerimonias, quibus homicida lustratur, substituerent. Hae dubitationes fieri non potuit quin paullatim ipsa narrationis ossa et medullam roderent. Caedes draconis quo anni tempore facta esset, in ambiguo esse coepit, opinionibus divergentibus, aliis eam in ver, aliis in auctumni initium relegantibus. Ac nostra quidem in hac fluctuatione admodum ardua conditio est; nam in tanta antiquitate et testimoniorum penuria quando et quibus auctoribus ab pristino cursu sacrorum ratio et narrationis ordo deflexus sit, difficillimum dictu est. Quare egregio fortunae favore et felicitate accidit, ut unum praeterea fontem in promptu habeamus, e quo, modo recte eo utamur, puriorem et integriorem Pythiorum etiam Delphicorum notitiam haurire liceat.

14. Sacra Pythia Sicyonia venerandae antiquitatis monumenta esse, cur minus adhuc perspectum sit.

Pervenit enim ad nos descriptio quaedam, fide omnino digna et, si harum rerum in universum angustias reputemus, etiam copiosa et locuples, quae sacrorum Pythiorum Sicyoniacorum, cum Delphicis maxume cognatorum, memoriam servavit. Fabulae ratio et placita divina in ambobus sacris Pythiis summa similitudine perfusa sunt, tamen Sicyonia sacra maxume digna sunt, quae seorsum accurata quaestione in examen vocentur. Nam primum, id quod postea luculenter apparebit, e Delphicis illa nequaquam derivata sunt; deinde, quoniam Sicyone non tantus, quantus Delphis, studiorum et ingeniorum ex omni Graecia confluxus fuit, Sicyonia illa theologia minus, quam Delphica perturbata est et antiquitatis colorem incorruptiorem servavit. Quod vero e superioribus eruditis, qui haec studia accuratius tractarunt, nemo Pythiis Sicyoniis tantum tribuit, ut inde Delphica sacra magnopere illustrari posse arbitraretur, miro quodam illorum sacrorum fato

factum. Nam Pythiorum Sicyoniorum memoriam iam in ipsa antiquitate Clisthenes tyrannus omni modo obscurare, corrumpere, adulterare instituit. Res ex parte homini ita cessit, ut ad posteritatem nonnihil fidei inveniret et incautorum aciem occaecaret; sed habemus Pindarum et Pausaniam, qui eum in modum de hac re testimonium dixerunt, ut, si eorum vestigiis acriter insistas, fraus illa deprehendi et vera rerum species instaurari possit.

15. Pindari carmen Nem. IX, in Chromium, ad Pythia Sicyonia cognoscenda subsidium optimum, quo anno compositum sit.

Iam igitur haec propositi nostri ratio erit, ut duorum illorum scriptorum, quibus omnino, ut accuratius de hoc Pythiorum genere iudicare liceat, debetur, nunc locos diligenter expendamus et auri grana, quae in eorum testimoniis latent, quantum fieri possit eruamus. Ac primum quidem de Pindari carmine Nemeo IX. videamus, deinde de luculento Pausaniae loco, quem ex Menaechmi Sicyonii Σικυωνιακοῖς haustum esse postea adparebit, Paus. 2, 7, 7. 8. Carmen Pindari Nemeum IX, quod Chromio, Agesidami filio, Aetnaeo Pindarus scripsit, iniuria Nemeis adnumerari constat; compositum enim est in victoriam a Chromio in ludis Pythiis Sicyoniis impetratam. Victoria ipsa aliquot annis ante evenerat, Pind. Nem. IX, 51 φιάλαισι ... ἅς ποθ' ἵπποι κτησάμεναι Χρομίῳ ... πέμψαν. Annus, quo scriptum est carmen, inde definiri potest, quod duobus locis de claris certaminibus navalibus, quibus Chromius cum gloria interfuerit, poeta loquitur, v. 34 ναῶν τ' ἐν μάχαις et v. 43 τὰ δὲ γείτονι πόντῳ φάσομαι, quae ad pugnam, adversus coniunctas Etruscorum et Carthaginiensium classes ad Cumas anno 474 a. Chr. commissam, commodissime referuntur; conf. Leutschium sagaciter de his rebus disserentem in Philologi vol. 14 p. 53. Hieronis duces, qui tam praestantem in illo proelio Cumaeis operam praestiterint, data opera commemoravit Diodorus XI, 51; in eorum numero Chromium fuisse optime coniecit Leutschius; Diod. l. s. οἱ δὲ τῶν νεῶν τούτων ἡγεμόνες ἐπειδὴ κατέπλευσαν εἰς τὴν Κύμην, μετὰ τῶν ἐγχωρίων ἐναυμάχησαν μὲν πρὸς τοὺς Τυρρηνούς, πολλὰς δὲ ναῦς διαφθείραντες καὶ μεγάλῃ ναυμαχίᾳ νικήσαντες τοὺς μὲν Τυρρηνοὺς ἐταπείνωσαν, τοὺς δὲ Κυμαίους ἠλευθέρωσαν τῶν φόβων.

16. Carmen Nem. IX in Chromium ei tempori convenire, quo Chromius Aetnae praefectus fuerit. Carmen Nem. I in eundem virum in tempus paullo posterius incidere.

Nec tamen multo post pugnam Cumaeam carmen scriptum; nam quo tempore Pindarus haec cecinit, Chromius Aetnae urbi ab Hierone tanquam maiestatis ipsius vicarius cum regia fere potestate praepositus erat; Chromium enim intimo cum Hierone mutuae fidei et amicitiae vinculo coniunctum fuisse et sororem regis in matrimonio ha-

buisse, notum est. De affinitate testis est Schol. Pind. p. 497 med. e Timaeo: Ἀριστόνουν καὶ Χρόμιον τοὺς κηδεστάς · τούτοις γὰρ ὁ Γέλων δέδωκε τὰς ἀδελφάς. De praefectura urbis Aetnae Sch. Pind. Hypothes. ad Nem. IX, p. 491 extr. ὁ Χρόμιος οὗτος φίλος ἦν Ἱέρωνος, κατασταθεὶς ὑπ' αὐτοῦ τῆς Αἴτνης ἐπίτροπος · ὅθεν καὶ Αἰτναῖος ἐκηρύχθη. Itaque carmen Nem. IX Aetnae in pompa cantatum est. Sed haud multo post pugnam ad Cumas Chromius ab hac praefecti urbis Aetnae statione, mutato Hieronis consilio, recessit et Syracusas rursus lares transtulit. Hoc vero tempore aliud Pindari carmen in eundem Chromium compositum est, quo celebratur victoria in ludis Nemeis parta, carmen Nemeum I. Licet enim huic carmini inscriptio praefixa sit Χρομίῳ Αἰτναίῳ, quam scholiasta Didymi etiam auctoritate firmat p. 426 extr. Ἱέρων ... ἐν ταῖς ἀναρρήσεσιν ... Αἰτναῖον ἑαυτὸν εἶπε · ταὐτὸν δέ, φησὶν ὁ Δίδυμος, εἰκὸς παθεῖν καὶ τὸν Χρόμιον ἑταίρῳ κεχρημένον αὐτῷ, tamen ex ipsis poetae verbis apparet, huius victoriae sollemnia non Aetnae, sed Syracusis celebrata esse et Syracusis Chromium domicilium habuisse; nam Ortygiam hymni laudibus praedicandam Pindarus invocat v. 2 Συρακοσσᾶν θάλος Ὀρτυγία || ... σέθεν ἁδυεπὴς || ὕμνος ὁρμᾶται θέμεν αἶνον.

17. Carmen Nem. IX, arma spirans, paullo ante bellum cum Thrasydaeo, carmen Nem. I, pacis aura perfusum, brevi post Thrasydaeum devictum ortum esse.

Hoc documento evincitur, Chromium huius carminis tempore iam non Aetnae praefectum fuisse. Carmen vero illud Nemeum I, ut optime Leutschius, Philologo vol. 14, p. 57 ostendit, pacis in Hieronis regno ubique constitutae et stabilitae atque Chromio quoque emolumento futurae animum spirat. Nam valet haud dubie de ipsius Chromii, pacis bonis et otio cum dignitate fruentis, fortuna quod de Hercule Tiresiam vaticinantem facit poeta v. 69 αὐτὸν μὲν ἐν εἰρήνᾳ τὸν ἅπαντα χρόνον ἐν σχερῷ || ἡσυχίαν καμάτων μεγάλων ποινὰν λαχόντ' ἐξαίρετον || ... σεμνὸν αἰνήσειν νόμον. Haec pax plena et inconcussa in Hieronis regno effecta demum est post devictum Thrasydaeum, Theronis filium et in tyrannide Agrigenti et Himerae urbium successorem. Hieronis ad Acragantem fluvium victoriam, qua Thrasydaeum regno exuit, anno Ol. 77, 1 = 472 a. Chr., Diodorus enarrat XI, 53, qui finem Thrasydaei hunc fuisse testatur Diod. l. s. μετὰ δὲ ταῦτα Θρασυδαῖος μὲν ταπεινωθεὶς ἐξέπεσεν ἐκ τῆς ἀρχῆς, καὶ φυγὼν εἰς Μεγαρεῖς τοὺς Νισαίους ... ἐκεῖ θανάτου καταγνωσθεὶς ἐτελεύτησεν. Apparet igitur, carmen Nem. I anno 472 vel sequenti convenire. Inter carmen Nem. I et Nem. IX haec temporum ratio intercedit, ut Nem. I necessario post Thrasydaeum devictum, Nemeum IX, quod aliquem armorum strepitum spirat, paullo ante, quo tempore iam Thrasydaeus post patris sapientissimi Theronis decessum admodum inconsiderate turbare inciperet, compositum statuendum sit. Nam in carmine Nem. IX iam prima tonitrua belli a Thrasydaeo imprudentissime suscepti inesse, rectissume statuit Leutschius l. s. p. 57. Quare admodum probabile est, hanc odam paucis post Theronis mortem mensibus compositam esse, hoc est aestate vel auctumno anni 472.

18. Pindarus carmine Nem. IX cum Pythia ab Adrasto instituta dicit et eius herois laudes canit, armatus incedit et proculcata iura tuetur.

Ludi Pythii Sicyonii, licet minus nobilitati, quam Delphici sint, tamen fama minime obscura fuerunt; saepe phialae argenteae, quas victores praemii loco accipiebant, commemorantur, Pind. Nem. X, 43 Σικυωνόθε δ' ἀργυρωθέντες σὺν οἰνηραῖς φιάλαις ἀπέβαν. Sch. Pind. p. 505 extr. ἀπὸ Σικυῶνος καὶ τῶν ἐκεῖσε Πυθίων ἀργυραῖς φιάλαις τιμηθέντες. Sch. Pind. p. 498 extr. ἐν γὰρ τοῖς κατὰ Σικυῶνα Πυθίοις ἀργυραῖ φιάλαι ἔπαθλα. cf. Sch. Pind. p. 503 extr. Ludi Pythii in honorem trium numinum Apollineorum celebrabantur v. 4 τὸ κρατήσιππον γὰρ ἐς ἅρμ' ἀναβαίνων (sc. ὁ Χρόμιος) ματέρι καὶ διδύμοις παίδεσσιν αὐδὰν μανύει || Πυθῶνος αἰπεινᾶς ὁμοκλάροις ἐπόπταις. De ipsa ludorum institutione praestantissimas quasdam antiquae famae et antiquorum carminum epicorum reliquias Pindarus servavit; narrat enim Adrastum, Talai filium, per deverticulum vitae suae concitatissimae, cum patria expulsus Sicyone regnaret, ludos ibi instituisse v. 11 ὅς τότε μὲν βασιλεύων κεῖθι νέαισί θ' ἑορταῖς || ἰσχύος τ' ἀνδρῶν ἁμίλλαις ἅρμασί τε γλαφυροῖς ἄμφαινε κυδαίνων πόλιν. Atque ea quidem, quae hoc loco Pindarus narrat, primo adspectu pacatissima et sine ullius adversarii insectatione dicta videntur. Sed fallit, id quod postea apparebit, pacata haec et cum maiestate quadam coniuncta species. Pindarus armatus incedit, et ad adversariorum quorundam arrogantes spiritus coercendos haec prompsit. Clisthenes tyrannus ludorum Pythiorum institutionem ad se vindicare studuerat. Eum refutandum sibi proposuit Pindarus.

19. Clisthenes tyrannus, Adrasti obtrectator, ludibrii caussa Adrasto in regum indice a se corrupto et adulterato, quo Castor usus est, quattuor solos annos adsignavit.

Relucet huius controversiae ex ipsis scholiis Pindaricis imago; nam posteriorum temporum eruditi Pindarum illa de Adrasto ludorum conditore pro arbitrio finxisse sibi persuaserant, cum ipsi Clisthenis fallaciis et fuco decepti essent. Hunc in modum ratiocinantem videmus Menaechmum Sicyonium, nam eius sunt haud dubie, quae profert Scholiasta Pind. Nem. IX, 20 p. 493 med. ἀνατίθησι γὰρ τὴν τῶν Πυθίων θέσιν ἐν Σικυῶνι Ἀδράστῳ, ποιητικὴν ἄγων ἄδειαν, Κλεισθένους αὐτὰ διαθέντος, καθὰ δεδήλωται, vide supra ad v. 2 p. 492 init. De Menaechmo Suidas s. v., sed vocali mutata, Μάναιχμος haec habet: Σικυώνιος, υἱὸς Ἀλκιβίου ἢ Ἀλκιβιάδου ἱστορικός. γέγονε ἐπὶ τῶν διαδόχων. ἔγραψεν ἱστορίαν τῶν κατὰ τὸν Μακεδόνα Ἀλέξανδρον. De eius Σικυωνιακῶν libris testatur Athenaeus VI, 471 D et Sch. Pind. p. 493 extr. conf. C. Muellerum, Script. rer. Alexandr. M. post Arrianum, Parisiis 1877 p. 145. Clisthenes, quem acerbissimo odio Adrasti regis memoriam impugnasse et persecutum esse ex loco clarissimo apud Herod. 5, 67. 68 constat, eo audaciae progressus erat, ut in fastis antiquis regum Sicyoniorum, quos ille cum Carnei Apollinis sacerdotibus retractandos

curaverat, Adrasto tanquam ad ludibrium quattuor tantummodo, quibus sceptrum tenuerit, annos tribueret. Adrastum igitur ipsius iam temporis, quo regnavisset, angustiis a ludorum conditorum gloria excludere studuit. Edocemur de hoc Clisthenis conatu ab Eusebio, qui indicem regum ab Clisthene et adiutoribus eius confectum, diversum illum ab Pausaniae indice 2, 5 et 6, servavit. Eusebius, vel potius Castor, Eusebii fons, vol. I ed. Schoene p. 176, 26 εἰκοστὸς τρίτος Ἄδραστος ἔτη δ'. Deinde Hieronymus ex Eusebio (vol. II ed. Schoene p. 51) ad annum Abr. 803 *post quem* (i. e. Phaestum) *XXIII Adrastus IV.* Similiter Excerpta Barbari (Euseb. ed. Sch. vol. I p. 217) *XXI Adrastus annos IV.* Tanta igitur invidia Adrastum Clisthenes insectatus est, ut ne tempus quidem illi ad ludorum, certis annorum intervallis redeuntium, institutionem relinqueret. Pindarus pristinam gloriam Adrasto reddidit.

20. Menaechmi Sicyonii pravom aureae mediocritatis studium, qui annos regni veteres Adrasto restituerit, ludorum Pythiorum conditorum gloriam ab Adrasto ad Clisthenem transtulerit.

Menaechmus deinde, ut homo arte critica imbutus, medium quendam cursum tenuit: altera manu dedit, altera ademit. Nam primum, id quod ex Pausaniae 2, 5 et 6 indice regum, qui pristinus et incorruptus est, apparet, veterem in ordine locum et numerum annorum Adrasto reliquit; atque numerum annorum triginta unum fuisse admodum probabile est. Deinde vero, surdus ad Pindari sententiam et Clistheni potius obsecutus, honore ludorum conditorum Adrastum privavit et omnem hanc laudem ab Adrasto Talai filio ad Clisthenem tyrannum transtulit. Extat hominis parum circumspecti hac de re testimonium ap. Schol. Pind. Nem. IX, 2 p. 492 init., ubi Menaechmi nomen excidisse, optime acutissimeque divinavit Boeckhius: φησὶ δὲ (sc. Μέναιχμος) ἐν τῷ πολέμῳ τῶν Κρισσαίων ... Κλεισθένην ... κωλῦσαι τὴν σιτοπομπίαν αὐτῶν, καὶ διὰ ταύτην τὴν εὐεργεσίαν τὸ τρίτον τῶν λαφύρων ἔδοσαν τῷ Κλεισθένει καὶ [τοῖς quod supplendum] Σικυωνίοις (pro vulgari Σικυωνίαν), ἀφ' οὗ Σικυώνιοι τὰ Πύθια πρῶτον παρ' ἑαυτοῖς ἔθεσαν. Pausanias ludorum Pythiorum Sicyoniorum nullam omnino mentionem facit. Nec mirum. Nam Pausianas, quom Menaechmum secutus eos ludos a Clisthene demum institutos arbitraretur, in tanta rerum antiquissimarum et cognitu dignissimarum, quibus Sicyon urbs abundabat, copia eos ut novicios non satis dignos, quos commemoraret, habuit.

21. Pausaniae locus egregius de hieratica Sicyoniorum fabula. Apollo et Diana supplicum habitu Aegialeam ingressi visu atroci deterrentur.

Verum haec accuratius postea illustrabuntur; nunc de sacris et theologumenis Sicyoniis, venerandae antiquitatis monumentis, accuratius videndum. Sicut enim Delphis

omni illi ludorum apparatui, qui oculis blandiretur, narratio quaedam sacra (ἱερὸς λόγος) subiecta erat, qui antiquissima hominum de rebus divinis sensa naturali quodam poesis generе exprimeret, ita Sicyone iuxta ludorum celebritatem thesaurus reconditior divinarum institutionum tradebatur, quo mutuom illud vinculum, quod cum numine divino humano generi intercedit, antiqua simplicitate illustrabatur. Atque hanc quidem sacram historiam tanquam margaritam quandam ex immenso oblivionis mari Pausanias nobis transmisit. Eum igitur nunc audiamus. Narrat igitur Pausanias loco cognitu dignissimo 2, 7, 7 Apollinem et Dianam post caedem draconis, cum pollutos se sentirent, in fugam conversos supplicum habitu Aegialeam, quod vetustius terrae Sicyoniae nomen est, petiisse, ea spe, fore, ut ibi purgarentur: Ἀπόλλων καὶ Ἄρτεμις ἀποκτείναντες Πύθωνα παρεγένοντο ἐς τὴν Αἰγιάλειαν καθαρσίων ἕνεκα. Sed spes incassum concepta fuerat; nam vix loco quodam Aegialeae ob eam rem apud posteros claro, cui a re atroci Φόβος nomen inditum, constiterant, cum visu quodam formidabili et minaci conterriti denuo fugam capessere coacti sunt; itaque Cretam ad Carmanorem, sacrorum lustralium et piacularium peritia illis temporibus inter mortales clarum, se contulerunt: γενομένου δέ σφισι δείματος ἔνθα καὶ νῦν Φόβον ὀνομάζουσι τὸ χωρίον, οἱ μὲν ἐς Κρήτην παρὰ Καρμάνορα ἀπετράποντο. Narrationem de Apollinis expiatione aliis locis supplet Pausanias, 10, 7, 2 Χρυσόθεμις ἐκ Κρήτης, οὗ δὴ ὁ πατὴρ Καρμάνωρ λέγεται καθῆραι Ἀπόλλωνα. Carmanor Tarrhae, in urbe Cretensi, domicilium habebat; in eius domo Acacallidem nympham dilexit Apollo, Paus. 10, 16, 5 συγγενέσθαι δὲ τῇ Ἀκακαλλίδι Ἀπόλλωνα ἐν πόλει Τάρρᾳ καὶ οἴκῳ Καρμάνορος.

22. Aegialenses inhospitalitatis poenas luunt. Puerorum et puellarum sollemnis pompa in Sythae ripam ad pacem deorum impetrandam.

Sed haec Apollinis et Dianae expulsio et absentia magno Aegialensibus constitit. Eiusmodi deorum discessus ἀποδημίαι vocabulo sollemni vocantur. Menander περὶ ἐπιδεικτικῶν 1, 4 (Rhet. Gr. ed. Spengel III p. 336) Ἀπόλλωνος ἀποδημίαι τινὲς ὀνομάζονται παρὰ Δηλίοις καὶ Μιλησίοις, καὶ Ἀρτέμιδος παρὰ Ἀργείοις. Apud Aegialenses igitur pestifer morbus exortus est, cui sublevando cum populus vates adoriretur, responsum est: unam hanc salutis viam esse, si numina infensa placarent. Paus. 2, 7, 7 τοὺς δὲ ἀνθρώπους τοὺς ἐν τῇ Αἰγιαλείᾳ νόσος ἐπέλαβε· καὶ σφᾶς ἐκέλευον οἱ μάντεις Ἀπόλλωνα ἱλάσασθαι καὶ Ἄρτεμιν. Itaque ad supplicationes et preces conversi Sicyonii hunc in modum deorum pacem recuperare instituerunt, ut septem pueros totidemque puellas, pompa sollemni incedentes, ad Sythae seu Syis fluvii ostium mitterent, qui versus occidentem confinia Pellenensium et Sicyoniorum designat, ut liberi illi enixe precati deos ad redeundum invitarent; Paus. 2, 7, 8 οἱ δὲ παῖδας ἑπτὰ καὶ ἴσας παρθένους ἐπὶ τὸν Σύθαν ποταμὸν ἀποστέλλουσιν ἱκετεύοντας. De fluvio illo fines duarum civitatium interluente Paus. 7, 27, 12 καθότι δὲ Πελληνεῦσιν ὅροι τῆς χώρας πρὸς Σικυωνίους εἰσί, κατὰ ταῦτα ποταμός σφισι Σύθας. Sythae ostium octoginta stadia ab urbe Sicyone distabat, quod ex litoris agri Sicyonii in longitudinem cen-

tum et viginti stadia efficientis cursu facile colligas, cf. Scylacis Peripl. 41 ταύτης (τῆς Σικυωνίας) παράπλους σταδίων ρκ'. Curt. Pelop. I, 485. 494 sq. Mirum videri possit, — atque offendit in ea re vir de his studiis optime meritus Theod. Schreiber, Apollo Pythokt. p. 44 med. —, quod liberorum pompa versus occidentem egreditur ad deos e Creta revocandos, cum Creta ad meridiem et occidentem Sicyoniis posita sit. Sed res explicatu haud ita difficilis videtur reputantibus, numinum Apollineorum cultum omnino in has Graeciae regiones e Creta insula itinere illo, quod Peloponnesi occidentale litus stringeret, advectum esse. Hoc iter quale et quam suetum nautis Cretensibus fuerit, luculenter hymnus Homericus in Apollinem Pythium ostendit v. 243—254. Itaque eadem via, qua eorum numinum notitia Sicyonem quondam advenerat, eadem effugisse illa ad Cretam et Carmanorem petendos finxerant, eadem denique reverti ea oportere verisimile videbatur.

23. Dei in Cretam digressi exorantur et Sicyonem revertuntur. Fabula in earum numero ponenda, quibus sollemnium sacrorum caussae et origines explicantur.

Nec irritae illae preces fuerunt. Immo Peitho in infantium labris sedens deorum mentes, ut placide supplicantibus adnuerent, emollivit. Apollo et Diana reduces facti primum in acropoli Sicyonia pedem statuerunt, quo loco postea grata civitas Peithus aedem extruxit; Paus. l. s. ὑπὸ τούτων δὲ πεισθέντας τοὺς θεούς φασιν ἐς τὴν τότε ἀκρόπολιν ἐλθεῖν, καὶ ὁ τόπος, ἔνθα πρῶτον ἀφίκοντο, Πειθοῦς ἐστὶν ἱερόν. Haec igitur est hieratica narratio (ἱερὸς λόγος) ad posteritatem propagata, qua sacrorum Pythiorum sollemnium apud Sicyonios origo explicabatur. Nam certis annorum intervallis, ut tradit Pausanias, hae caerimoniae repetebantur. Certo eius anni, qui cycli sacri initialis esset, tempore deorum simulacra, ut ἀποδημία significaretur, occulebantur, deinde pompa puerorum et puellarum educebatur, quorum precibus numina exorarentur; hoc ita facto, deorum statuae ad Sytham fluvium in sacris illis δρωμένοις in arbustis repertae fingebantur; eas deinde laetitia elati in aedem Peithus pueri et puellae ducebant; postremo universa civitas in gaudium effusa in Apollinis aedem numina recuperata prosequebatur. Haec eorum sollemnium imago est, quam e Pausaniae narratione adumbrare licet; Paus. 2, 7, 8 τούτοις δὲ ἐοικότα καὶ νῦν ἔτι ποιεῖται· καὶ γὰρ ἐπὶ τὸν Σύθαν ἴασιν οἱ παῖδες τῇ ἑορτῇ τοῦ Ἀπόλλωνος, καὶ ἀγαγόντες δὴ τοὺς θεοὺς ἐς τὸ τῆς Πειθοῦς ἱερὸν αὖθις ἀπάγειν ἐς τὸν ναόν φασι τοῦ Ἀπόλλωνος. Vox φασίν in postremis minime incertum, quo haec tradi Pausanias significet, rumorem indicat, sed hominum religiosorum et pio impetu instinctorum visiones, quibus capti, cum simulacra reperiunt et manibus gestant, ipsa numina tenere sibi videntur. De illa vero Apollinis aede in foro Sicyonio haec fama erat: Proetum, Argorum regem, Apollini grates agentem eam aedificasse, quod filiae eius, quae furibundae Sicyonem usque palantes venissent, Apollinis ibi ope tandem sanatae essent; Paus. l. s. ὁ δὲ ναὸς ἔστι μὲν ἐν τῇ νῦν ἀγορᾷ, τὸ δὲ ἐξ ἀρχῆς λέγουσιν αὐτὸν ὑπὸ Προίτου ποιηθῆναι· τὰς γάρ οἱ θυγατέρας ἐνταῦθα τῆς μανίας παύσασθαι.

24. In Sicyoniorum fabula hieratica unum non recte tradidit Pausanias. Priscae narrationis ea forma fuit, ut terra Sicyonia certaminis cum dracone theatrum esset.

Postquam Pausaniae narrationem de fatis et rebus gestis deorum, quae sacris Pythiis apud Sicyonios instituendis caussam praebuerunt, cognovimus, quaerendum nunc est, qua fide Pausanias vel auctores Pausaniae illa rettulerint. Atqui in universum optima fide usi videntur; nam tota narratio indubitata quaedam summae et rigidae etiamtunc antiquitatis documenta et quasi pignora habet. Quod Apollo et Diana visu illo atroci conterriti non, ut in fabula Delphica, post caedem Thessaliam petunt, sed Cretam, manifestum indicium est, fabulae Sicyoniae prima stamina orta esse priscis illis temporibus, quibus memoria translatorum e Creta sacrorum nondum exoleverat. Una tantum res est, in qua Pausaniae auctor pravo iudicio usus antiquom colorem fabulae detersit. Tradit Pausanias, Apollinem et Dianam post caedem draconis supplicum fugientium habitu in Aegialeam venisse, Paus. 2, 7, 7 ἀποκτείναντες Πύθωνα παρεγένοντο ἐς τὴν Αἰγιάλειαν καθαρσίων ἕνεκα. Hoc cum scripsit, sibi persuasit, Delphis caedem peractam esse, numina vero in Aegialea fugiendi pausam fecisse, ut purgarentur. Haec eum non recte, nec secundum antiquissumam τοῦ ἱεροῦ λόγου formulam tradidisse manifesto demonstrari potest. Res qualis fuerit, iam optime divinavit O. Muellerus, qui in Dor. I², 331 n. 1 (coll. ibid. p. 319 n. 1) hanc coniecturam proposuit: fuisse antiquissimam quandam eius fabulae formam, in qua ipsa Aegialea et draconis patria et certaminis, quo occisus est serpens, quasi theatrum fuerit.

25. Τοξίου βουνός qui fuerit apud Sicyonios.

Extat praestantissimum huius rei apud Hesychium testimonium, qui haec habet: Τοξίου βουνός: τοῦ Ἀπόλλωνος τοῦ ἐν Σικυῶνι· βέλτιον δὲ ἀκούειν τὴν ἐν Δελφοῖς Νάπην λεγομένην. Hesychius primum recte refert, collem fuisse Sicyone, unde draconem Apollo speculatus sit, unde telum in eum collinearit: sed cum similis plane collis apud Delphos quoque monstraretur, Sicyonii autem collis memoria Hesychii temporibus prorsus oblivione obruta esset, homo non nimis perspicax sententia mutata vocem illam ad sola loca Delphica rettulit. Hesychius igitur vetustioris doctrinae copiis imperite usus est. Muelleri coniecturam copiosius enarravit et novis rationibus firmavit Theodorus Schreiber, Ap. Pythokt. p. 6 et 44. Quod ad nomen loci Τοξίου βουνός attinet, vereor ut recte Hesychius statuerit, collem prope Delphos hoc nomine nuncupatum esse. Res ipsa, Apollinem ex edito loco draconem in lustris latentem speculatum esse, saepius in fabula Delphica commemoratur, qua de re doctissime egit Meinekius ad Callim. p. 154. Memor est collis

Hymni Homerici in Ap. Pyth. auctor v. ἵκεο δ' ἐς Κρίσην ὑπὸ Παρνησὸν νιφόεντα, || κνημὸν πρὸς Ζέφυρον τετραμμένον, αὐτὰρ ὕπερθεν || πέτρη ἐπικρέμαται, κοιλὴ δ' ὑποδέδρομε βῆσσα, cf. G. Hermann, Opusc. VII, 145; Schol. Eur. Phoen. 233 τὸ κατοπτευτήριον, τόπον οὕτω καλούμενον ἐν Παρνασσῷ, ὅθεν κατοπτεύσας Ἀπόλλων τὸν Δελφὸν [ὄφιν add. Meineke] κατετόξευσεν. Epigramma Cyzicen. 6, 4 θῆρα καθαιμάσσει Φοῖβος ἀπὸ σκοπιῆς. Cum igitur Delphis res quidem ipsa eadem sit, vocabula vero a tot testibus semper alia usurpentur, formulam Τοξίου βουνός 'Sagittarii collis' (Τοξίου a Τοξίας derivandum, cf. Meinekium l. s.) soli Sicyoniae fabulae tribuerim.

26. Sicyonios sacra sua Pythia non Delphis accepta referre, sed nautis, sacra sua secum ferentibus, Cretensibus.

Itaque si haec recte a nobis disputata sunt, iam Pausaniae illa narratio de Apollinis et Dianae e Sicyone fuga et in Sicyonem reditu, qua sacrorum Pythiorum apud Sicyonios fundamentum continetur, ita corrigenda et supplenda erit, ut Apollinem et Dianam non Delphis pulsos in Aegialeam venisse dicamus, sed in ipsa Aegialea draconem ab eis occisum esse, deinde eos visione illa atroci exterritos in Cretam fugam capessivisse. Haec res magni momenti est ad fabulae Sicyoniae auctoritatem recte aestimandam. Nam cum demonstratum a nobis sit, caedem draconis in vetustissima, quae apud Sicyonios circumferebatur, narratione in ipsa Aegialea factam statui, omnes profecto probabilitatis numeros in se hoc habet: sacra illa Sicyonia omnino non Delphis Sicyonem translata, sed recta e Creta via, consueto illo eius temporis nautis in occidentali Peloponnesi littore itinere maritimo, in Aegialeam advecta esse. Eius itineris cursum optime adumbrat hymni Homerici in Apollin. Pyth. auctor v. 243 ἡ δὲ (ναῦς) πρήσσουσα κέλευθον || Ἀρήνην ἵκανε καὶ Ἀργυφέην ἐρατεινήν, || καὶ Θρύον, Ἀλφειοῖο πόρον, καὶ ἐΰκτιτον Αἶπυ || καὶ Πύλον ἠμαθόεντα Πυληγενέας τ' ἀνθρώπους.

27. Sicut sacrorum severitatis Pausaniam, ita ludorum festivitatis Pindarum testes esse.

Haec igitur Pythia Sicyonia praestantissimis remotae antiquitatis monumentis adnumeranda sunt. Quem non admiratione perstringat austera illa religio, deorum immortalium caede et sanguine pollutorum et, fugientium habitu, lustrationem sibi quaerentium imago, omninoque horridior illa species rerum divinarum! Haec saeculum spirant tale, quo res divinae humano generi nondum lusui poetico essent et gratam carminibus fingendis materiam praeberent, sed quo homines sacro quodam horrore perculsi et de salute sua cum in hac vita, tum in futura maxume solliciti deos venerabantur. Sed antequam

qui fructus ex eorum sacrorum accuratiore pervestigatione ad Delphica sacra rectius cognoscenda percipi possit, exponamus, nunc aliud prius expediendum. E radice occulta folia et flores enascuntur; ita in antiquis religionibus ex sacris reconditioribus ludi publici magna celebritate florentes prodeunt. Quare ab sacris Pythiis Sicyoniis ludi illi Pythii Sicyonii distinguendi sunt, quorum Pindarus in carmine Nemeo IX tam egregius praeco est. Sed eorum quoque origines et antiquitates magnis difficultatibus impeditae sunt. De eis prius constare oportet, antequam illa graviora de sacris absolvamus. Sed haec interim hactenus.

SCRIPTORVM LOCI QVI EXPLICANTVR VEL EMENDANTVR.

Adnotandum hoc loco, vitium scribendi in unius e regibus Sicyoniis apud Eusebium nomine latere, qui proximus est ante Phaestum, tertius ante Adrastum. Ἴναχος vocatur apud Eusebium vol. I ed. Schoene 175. 176. p. 217 et vol. II p. 46. 47; numeratur pro vicesimo primo; anni vero ei tribuuntur XLII. Pausanias in suo regum Sicyoniorum indice illum, qui proximus est ante Phaestum, Ianiscum pro Inacho vocat, Paus. 2, 6, 6 Ἰανίσκος ἀπόγονος Κλυτίου... ἐλθὼν ἐκ τῆς Ἀττικῆς ἐβασίλευσεν, ἀποθανόντος δὲ Ἰανίσκου Φαῖστος τῶν Ἡρακλέους λεγόμενος παίδων ... εἶναι. Ianisci igitur nomen Castori reddendum videtur.

Menaechmi verba, nam eius sunt, ap. Schol. Pind. Nem. IX, 25 p. 493 med., in quibus explicandis frustra elaboravit vir summus Boeckhius, hunc in modum scribenda puto: ἀνατίθησι δὲ (ὁ Πίνδαρος) τὸ ὅλον Ἀδράστῳ [ὡς quod supplendum est] καταδοθέν τι, ἐπειδὴ καὶ διωρθώσατο αὐτὸς ὕστερον καὶ ἄλλως ἐνδοξότερος ἀνήρ. Menaechmus Pindarum ad Proetum respexisse sibi persuaserat, qui primus Apollinis colendi Sicyoniis auctor fuerat, quique aedem Apollinis Sicyone in foro aedificarat. Paus. 2, 7, 8 ἐξ ἀρχῆς λέγουσιν αὐτὸν (τὸν ναὸν) ὑπὸ Προίτου ποιηθῆναι.

SCHOLAE

SECVNDVM ORDINES DISCRIPTAE

I. ORDINIS THEOLOGORVM CATHOLICORVM

1. *Professores ordinarii*

ANDREAS MENZEL Dr. *Publice* I. Apologeticen tradet bis p. h. h. IX. *Privatim* II. Theologiae moralis partem I tractabit quater p. h. h. IX.

FRANCISCVS HENRICVS REVSCH Dr. *Publice* I. Theologiam homileticam et catecheticam docebit bis p. h. h. XI. *Privatim* II. Psalmos interpretabitur quater p. h. h. X.

IOSEPHVS LANGEN Dr. *Publice* I. Epistolarum Paulinarum locos selectos interpretabitur semel p. h. h. XI. *Privatim* II. S. Marci evangelium exponet ter p. h. h. XI. III. Historiae ecclesiasticae P. I. enarrabit quinquies p. h. h. XII.

HVBERTVS THEOPHILVS SIMAR Dr. *Privatissime et gratis* I. Exercitationes catecheticas moderari perget semel p. h. h. .V. *Privatim* II. Theologiae dogmaticae p. II docebit sexies p. h. h. IX. Publice III. Apologeticam tradet bis p. h. h. X.

CAR. AD. HENRICVS KELLNER Dr. *Publice* I. patrologiam docebit bis p. h. hora III. *Privatim* II. Historiae ecclesiasticae partem alteram enarrabit quinquies p. h. h. IX.

FRANCISCVS KAVLEN Dr. *Publice* I. S. Ioannis apocalypsim interpretabitur d. Lun. Mart. h. XII. *Privatim* II. Introductionem in libros Sacrae Scripturae singulos faciet d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IV. III. Theologiae pastoralis partem priorem docebit d. Merc. Iov. Ven. h. XII. *Privatissime et gratis* IV. Exercitationes homileticas moderari perget d. Lat. h. XII.

II. ORDINIS THEOLOGICORVM EVANGELICORVM

1. *Professores ordinarii*

IOANNES PETRVS LANGE Dr. *Publice* I. Hermeneuticen biblicam exponet bis dieb. Ven. et Sat. h. X. *Privatim* II. Ethicen christianam docebit quater dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. h. X.

GVILELMVS LVDOVICVS KRAFFT Dr. *Publice* I. Theoriam et historiam propagationis fidei evangelicae tradet bis p. h. d. Saturni h. IX et X. *Privatim* II. Historiam ecclesiae inde a Caroli M. temporibus usque ad finem saeculi XVI enarrabit quinquies per h. h. X.

GVILELMVS IVLIVS MANGOLD Dr. *Publice* I. Epistolam ad Corinthios datam alteram

semel p. h. d. Merc. h. XI. *Privatim* II. Epistolam ad Corinthios datam priorem quater p. h. h. XI. III. Historiam dogmatum quinquies p. hebd. h. XII. enarrabit.

ADOLPHVS HERM. HENR. KAMPHAVSEN Dr. *Publice* I. Seminarii exercitationes in Vet. Test. explicando moderabitur. *Privatim* II. Introductionem in Vet. Test. tradet quinquies p. h. h. IX. III. Librum Iesaiae interpretabitur p. h. h. VIII.

THEODORVS CHRISTLIEB theol. et phil. Dr. *Publice* I. Exercitationes seminarii regii tam homileticas quam catecheticas moderari perget. *Privatim* II. Artem homileticam docebit ter dieb. Lun. Merc. Ven. h. IX. III. Difficiliores pericopas explicabit ter dieb. Mart. Iov. Sat. h. IX.

GVILELMVS BENDER Dr. *Publice* I. De Luthero et de Protestantismo auditoribus omnium ordinum leget semel die Sat. h. XII. *Privatim* II. Theologiam dogmaticam docebit sexies h. XI.

2. *Professores extraordinarii*

CAROLVS BENRATH Lic. *Privatissime et gratis* I. Minucii Felicis 'Octavium' legendum proponet die Merc. h. XII. *Privatim* II. Symbolicam exponet quater p. h. h. XII.

CAROLVS BVDDE Lic. *Privatissime et gratis* I. Exercitationes hebraicas instituet h. p. st. *Privatim* II. Psalmos interpretabitur quater p. h. h. VIII.

3. *Privatim docens*

FRIDERICVS SPITTA theol. Lic. *Gratis* I. Epistulam Petri posteriorem atque Iudae interpretabitur semel bisve h. p. st. *Privatim* II. Introductionem in libros Veteris Testamenti apocryphos pseudepigraphosque tractabit bis h. p. st.

III. ORDINIS IVRECONSVLTORVM

1. *Professores ordinarii*

HVGO HAELSCHNER Dr. *Publice* I. Ius publicum imperii Germanici tractabit bis p. h. h. XII. *Privatim* II. Ius poenale Germanicum docebit quinquies p. h. h. X. III. Ius publicum Germanicum quinquies p. h. h. XI tradet.

RODERICVS DE STINTZING Dr. *Publice* I. Selecta capita Pandectarum explicabit bis p. h. h. III. *Privatim* II. Pandectarum partes priores h. e. generalem et eas quae sunt de rerum dominio et iuribus in re aliena nec non de obligationibus decies p. h. h. X et XI tradet.

IOH. FRIDERICVS DE SCHVLTE Dr. *Privatissime et gratis* I. In Seminario regio exercitationes iuris germanici imprimis mercatorii reget d. Lun. h. VI et VII. *Privatim* II. Historiam imperii et iuris Germanici tradet quinquies h. V.

GVILELMVS ENDEMANN Dr. *Privatissime et gratis* I. In Seminario regio moderabitur exercitationes processus civilis adhibitis actis iudicialibus die Lun. et Iov. h. XII. *Privatim* II. Ius mercatorium et maritimum docebit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XI. III. Ius cambiale d. Merc. et Sat. h. XI. IV. Doctrinam processus criminalis d. Mart. Merc. Ven. Sat. h. XII. V. Ius quod attinet ad vias ferro stratas d. Lun. et Iov. h. IV—VI postmerid.

AVGVSTVS BECHMANN Dr. *Publice* I. Quid iuris sit de concursu creditorum tractabit die Saturni h. X et XI. *Privatim* II. 1) Institutiones iuris Romani praemissa encyclopaedica in universum iuris studium introductione docebit quinquies h. XI. 2) Historiam iuris Romani enarrabit quinquies h. III. 3) Processum civilem Germanicum docebit quinquies h. XII.

HERMANNVS HVEFFER Dr. *Publice* I. Ius matrimoniorum bis p. h. dieb. Lun. et Iov. h. II exponet. *Privatim* II. Ius ecclesiasticum catholicorum et evangelicorum quater aut quinquies p. h. docebit dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. et Ven. h. III.

CONRADVS HVBERTVS HVGO LOERSCH Dr. *Publice* I. Ius feudale docebit semel d. Sat. h. IX. *Privatim* II. Ius privatum Germanicum quinquies exponet dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. IX. III. Ius Francogallicum civile quod in terris viget Rhenanis tradet quater dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. X.

2. *Professores extraordinarii.*

ALFREDVS NICOLOVIVS Dr. commeatu impetrato scholas non habebit.

RVDOLFVS KLOSTERMANN Dr. *Publice* I. De iure tabularum praediatoriarum disseret semel die Merc. h. IX. *Privatim* II. Ius civile Borussicum docebit dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IX.

ALEXANDER SIGMVNDVS SCHLOSSMANN Dr. *Privatissime et gratis* I. In Seminario regio exercitationes iuris Romani practicas moderabitur semel p. h. d. Merc. h. V et VI. *Privatim* II. Pandectarum partem alteram i. e. ius familiare atque ius hereditarium tractabit diebus Mart. Merc. Iov. Ven. h. XII.

3. *Privatim docentes*

PAVLVS IOERS Dr. *Gratis.* De fontibus iuris Romani disseret bis dieb. Mart. et Ven. h. XII.

ERNESTVS LANDSBERG Dr. *Gratis* I. Gaii institutiones interpretabitur d. Mart. et Merc. h. IX. *Privatissime et gratis* II. Difficiliorum in digestis locorum interpretationem instituet semel h. IX.

IV. ORDINIS MEDICORVM

1. *Professores ordinarii*

GVSTAVVS VEIT Dr. *Publice* I. Gynaecologiae partem d. Iov. h. V tradet. *Privatim* II. Artem obstetriciam senis diebus h. VIII docebit. III. Exercitationes practicas in clinico gynaecologico quotidie h. XII moderari perget.

FRANCISCVS DE LEYDIG Dr. *Publice* I. De animalium vertebratorum sceleto disseret die Mart. h. IV. *Privatim* II. Anatomiae comparatae partem secundam docebit dieb. Lun. Merc. Iov. h. IV.

EDVARDVS PFLVEGER Dr. *Publice* I. Seminarium physiologicum quotidie moderari perget. *Privatim* II. Physiologiae specialis partem alteram, i. e. vegetativam d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. IX docebit.

HVGO RVEHLE Dr. *Publice* I. De morbis ab infectione ortis disseret semel d. Ven. h. XII. *Privatim* II. Pathologiam et therapiam specialem tradet quinquies d. Lun. Mart. Merc. Iov. Sat. h. XII. III. Clinicum et policlinicum medicum moderabitur quotidie h. X3/4—XII.

CAROLVS KOESTER Dr. *Privatissime et gratis* I. Laboratorium pathologicum moderabitur quotidie. *Privatim* II. Anatomiam et physiologiam pathologicam specialem quinquies h. V docebit. III. Cursum demonstrativum anatomiae pathologicae cum exercitationibus rite obducendi cadavera ter h. II—IV instituet.

THEODORVS SAEMISCH Dr. *Publice* I. De ratione mutua inter corporis et oculi morbis d. Iov. h. VI. disseret. *Privatim* II. Clinicum ophthalmiatricum moderabitur ter diebus Lun. Mart. Ven. h. VIII. III. Cursum ophthalmoscopicum instituet d. Merc. h. II et h. III. IV. Cursum operationum in oculo instituendarum habebit d. Ven. h. II.

CAROLVS BINZ Dr. *Privatissime et gratis* I. Laboratorium pharmacologicum quotidie h. p. st. moderari perget. *Privatim* II. Pharmacologiae experimentalis p. I tradet d. Lun. Mart. Iov. h. III. III. Toxicologiam experimentalem exponet semel d. Mart. h. IV.

ADOLPHVS LIBER BARO DE LA VALETTE ST. GEORGE Dr. *Publice* I. Laboratorium anatomicum moderari perget una cum NVSSBAVM P. E. quotidie h. IX—IV. *Privatim* II. Anatomiam specialem docebit sexies p. h. h. VIII. III. Exercitationes anatomicas una cum NVSSBAVM P. E. prosectore moderabitur quotidie h. IX—IV.

FRIDERICVS TRENDELENBVRG Dr. *Publice* I. Chirurgiae specialis capita selecta tradet semel d. Merc. h. VI. *Privatim* II. Clinicum et policlinicum chirurgicum moderabitur quotidie h. IX—X3/4.

2. *Professor ordinarius honorarius*

WERNERVS NASSE Dr. *Privatim* Clinicum psychiatricum moderabitur die Saturni h. II1/2—IV1/2.

3. *Professores extraordinarii*

HERMANNVS SCHAAFFHAVSEN Dr. *Publice* I. Anthropologiam dieb. Lun. et Iov. h. III. II. Physiologiam generalem dieb. Mart. et Ven. h. III. explicabit. *Privatim* III. Pathologiam generalem dieb. Lun. Iov. et Ven. h. XII tradet.

IOSEPHVS DOVTRELEPONT Dr. *Publice* I. De morbis cutis aget d. Merc. h. IV. *Privatim* II. Artem fasciarum chirurgicarum rite adplicandarum et docendo et exercendo tradet d. Mart. Iov. et Sat. h. II. III. Clinicum morborum cutis et syphiliticum moderabitur d. Merc. et Sat. h. XII.

CAROLVS FINKELNBVRG Dr. *Publice* I. De infectionum natura et prophylaxi semel, die Iov. h. VI. *Privatim* II. De morbis psychicis ter disseret, dieb. Lun. Merc. Ven. h. V.

CAROLVS A MOSENGEIL Dr. *Publice* I. Chirurgiae specialis partem II (de morbis chirurgicis extremitatum) semel p. h. d. Iov. h. IV. *Privatim* II. Chirurgiam generalem tradet bis p. h. dieb. Lun. et Iov. h. VIII.

MAVRICIVS NVSSBAVM Dr. *Publice* I. Laboratorium anatomicum moderari perget una cum

DE LA VALETTE ST. GEORGE P. O. quotidie h. IX—IV. *Privatim* II. Exercitationes anatomicas una cum DE LA VALETTE ST. GEORGE P. O. quotidie instituet h. IX—IV. III. Anatomiam topographicam docebit d. Lun. et Ven. h. III.

DITTMARVS FINKLER Dr. *Publice* I. Laboratorium clinicum horis post statuendis. *Privatim* II. Propaedeuticen clinicam quotidie h. IV, bis h. III.

4. *Privatim docentes*

FRIDERICVS FVCHS Dr. *Gratis* I. De principio conservationis energiae tradet semel h. p. i. *Privatissime et gratis* II. Iatrophysices capita selecta tradet bis h. p. i.

IOSEPHVS KOCKS Dr. *Gratis* I. Doctrinam operationum gynaecologicarum semel tradet h. p. i. *Privatim* II. Cursum operationum obstetriciarum quater h. p. st. habebit.

HENRICVS WALB Dr. *Gratis* I. Otologiae selecta capita tradet bis dieb. Lun. et Merc. h. V. *Privatissime et gratis* II. Policlinicum otiatricum moderari perget quotidie h. II $^1/_2$.

CAROLVS BVRGER Dr. *Gratis* I. Policlinicum infantum moderabitur die Mart. II—IV. *Privatim* II. Cursum laryngoscopiae habebit bis h. p. st.

SIGFRIDVS WOLFFBERG Dr. *Gratis* I. De quaestionibus ad hominum domos spectantibus hygienicis disseret semel d. Ven. h. IV. *Privatissime et gratis* II. De rebus hygiencicis colloquium et studia moderabitur h. p. st.

HVGO RIBBERT Dr. *Gratis* I. De tumoribus h. p. st. *Privatim* II. Repetitorium histologiae pathologicae d. Mart. h. II—IV.

GVILELMVS KOCHS Dr. *Gratis.* De generatione d. Sat. h. XI.

THEODORVS RVMPF Dr. *Gratis* I. Pathologiam et therapiam specialem ad nervorum morbos spectantem semel vel bis h. p. st. II. De ratione mutua inter nervorum et corporis morbos semel h. p. st. *Privatim* III. Electrotherapiae cursum cum demonstrationibus clinicis bis h. VI.

OSCARVS WITZEL Dr. *Privatim.* Chirurgiam specialem docere perget dieb. Lun. et Merc. h. VI.

AEMILIVS VNGAR Dr. *Gratis* I. Medicinae forensis elementa commilitonibus iuris studiosis explicabit semel p. h. h. p. i. *Privatissime et gratis* II. De Methodis curandi physicis disseret, ratione inprimis balneotherapiae habita, adiunctis exercitationibus, semel vel bis p. h. horis post statuendis.

DITERICVS BARFVRTH Dr. *Gratis* de situ viscerum d. Ven. h. IV.

V. ORDINIS PHILOSOPHORVM

1. *Professores ordinarii*

CAROLVS BERGEMANN Dr. scholas non habere perget.

IOANNES GILDEMEISTER Dr. *Publice* I. Linguae arabicae elementa docebit usurus grammatica Casparii ab A. Müllero retractata d. Lun. Merc. Iovis h. II. *Privatim et gratis* II. Firdosium tractabit bis h. XI. *Privatissime et gratis* III. Syriacas lectiones continuabit die

Mart. Ven. h. II. IV. Historiae Arabicae scriptores proponet bis h. III. IV. Hamasam interpretabitur bis h. XI.

PETRVS KNOODT Dr. *Publice* I. Principia ethices exponet d. Mart. et Iov. h. IV. *Privatim* II. Metaphysicen docebit d. Lun. Mart. Merc. Iov. et Ven. h. III.

ERWINVS NASSE Dr. *Publice* I. De re monetaria disseret semel die Lun. h. V. *Privatim* II. Oeconomiam publicam generalem quater vel quinquies h. IV. III. Oeconomiam publicam specialem quater h. IX docebit. *Privatissime et gratis* IV. Exercitationes oeconomicas moderabitur semel h. VI et VII.

RVDOLPHVS CLAVSIVS Dr. *Publice* I. Seminarii regii physici exercitationes physicas moderari perget semel p. h. d. Mart. h. X. *Privatim* II. Physices experimentalis partem dimidiam i. e. acusticen, opticen, magnetismi et electricitatis theoriam tradet quater p. h. d. Merc. et Sat. h. IX. et X. III. Elasticitatis theoriam docebit bis p. h. d. Mart. et Ven. h. IX.

ARNOLDVS SCHAEFER Dr. *Publice* I. Seminarii historici sodalibus Livii ab u. c. libros XXXVIII sqq. (de causis et initiis belli Persici) tractandos proponet d. Sat. h. IX. *Privatim* II. Historiam antiquam usque ad finem occidentalis Romanorum imperii enarrabit quater d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IX.

FRANCISCVS BVECHELER Dr. *Publice* I. In seminario philol. cantica Plautina legenda proponet d. Mart. h. V et VI. *Privatim* II. Theocriti et bucolicorum graecorum carmina interpretabitur d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XI. *Privatissime* III. Exercitationes philologas instituet semel p. h.

HERMANNVS VSENER Dr. *Publice* I. Cum seminarii philologici sodalibus extraordinariis Demosthenis orationem Midianam et Vergili Aeneidem tractabit d. Merc. h. XI et d. Iov. h. VI. *Privatim* II. Litterarum graecarum historiam tradet quinquiens p. h. d. Mart. et sequentibus h. XII.

RVDOLPHVS LIPSCHITZ Dr. *Publice* I. Seminarii mathematici sodalium exercitationes moderabitur d. Merc. et Sat. h. XI. *Privatim* II. Calculi infinitesimalis in exploranda spatii vi et natura usum docebit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IV. III. Fundamenta analysis tradet d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. V.

AVGVSTVS KEKVLÉ Dr. *Publice* I. Chemiae generalis quaestiones selectas tractabit semel d. Iov. h. IV. *Privatim* II. Chemiae experimentatae partem II i. e. chemiam organicam tradet quater d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XII. III. Metallorum et salium chemiam docebit bis d. Merc. et Sat. h. XII. IV. Exercitationes practicas in laboratorio chemico moderabitur una cum WALLACH P. E. quotidie ab h. IX ad h. V.

IVERGEN BONA MEYER Dr. *Publice* I. Philosophiam nostrae aetatis explicabit bis dieb. Merc. et Sat. h. V. II. Societatem paedagogicam moderabitur semel d. Merc. h. VI—VIII. *Privatim* III. Paedagogices historiam tradet quater dieb. Mart. Merc. Iov. Ven. h. IV.

GVILELMVS MAVRENBRECHER Dr. *Publice* I. Exercitationes seminarii historici de vita Lutheri moderabitur d. Mercurii h. IV—VI. *Privatim* II. Historiam universalem inde

ab a. 1789 usque ad a. 1815 enarrabit quater d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. v. *Privatissime et gratis* III. De fontibus historiae annorum 1789—1815 disseret de Lun. h. vi.

CAROLVS IVSTI Dr. *Publice* I. Vasari vitam M. A. Bonarroti explicabit d. Merc. h. xi. *Privatim* II. Historiam architecturae medii aevi tradet d. Lun. Mart. Merc. h. xii.

IOSEPHVS NEVHAEVSER Dr. *Publice* I. Exercitationes philosophicas moderabitur d. Merc. h. viii. *Privatim* II. Psychologiam docebit quater d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. viii. III. Historiam philosophiae veteris tradet quater quinquiensve, primis hebdomadis diebus h. x.

